

etiam seruata pari consensu continentia, posse permanere, vocarique coniugium non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. Idem in libro De bono coniugali, capite I. Poterat esse in utroque sexu, etiam sine tali commixtione, alterius regentis, alterius obsequentis amicabilis quædam & germana coniunctio. Cuiusmodi sententiæ plerumque apud veteres occurrunt, ex nimia continentia & cœlibatus admiratione profectæ. Quod ad Abelem, Moses neque eum vxorem habuisse scribit, neque filios suscepisse, vt temerè ad huius erroris defensionem hoc exemplum afferatur. Cœpit autem in agro Hipponensi, eoque Regio, quæ admodum disertè annotat hîc Augustinus. Fuit enim in Numidia, quæ Africæ pars est, duplex Hippo. Hippo Regius in ea Numidia quæ propriè ita appellata est, Romanorum colonia, cuius fuit episcopus Augustinus. Alter Hippo Zarithos dictus, maritimum oppidum, vt est in Itinerario Antonini, pulcherrimè nobis opera D. Iosia Simleri feliciterque restituto, in ea Numidiæ regione, quæ Zeugitana cognominatur. Longius autem aut latius non videtur hic error abelonitarum peruagatus, neque etiam diutius permansisse, sed in ipsis cunis extinctus, & verbo Dei confossus, siluisse, quem neque nos reuocare, neque nimia perquisitione illustrare debemus.

CAP. LXXXVIII.

Pelagiani cur sic dicti. Erroris autem eorum
capita quinque recensentur.